



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

3 Quid Sobrietas

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

146 JOAN. RODINGI ETHICÆ
Defunctumq³ laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.

Et Seneca in Herc. Furent.

Alium multis gloria terris
Tradat, & omneis fama per urbes
Garrula laudet, celoq³ parem
Tollat & astris: alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare secreto, tutoq³ tegat.
Venit ad pigros cana senectus,
Humiliq³ loco, sed certa sedet,
Sordida parva fortuna domus:
Alté virtus animosa cadit.

Paling.

Quantum ergo satis est vite, nihil amplius opta
Namq³ supervacuo stulti latantur: acervos
Ingentes frustra, frustra horrea plena requiris.

CAP. III.

De Sobrietate.

Sobrietas, est Temperantia cibi &
potus.

Dan. cap. I. Sic Daniel cum suis in cibo, potuque cap
endo temperans fuit, dum regio cibo ac potu
non inquinari in animum induxit, quodque

1. Reg. cap. liceret a spadonum magistro vehementer con
19. tendebat. Sic Helix subcinericius panis, &

2. Reg. cap. aquæ poculum é cælo missum est. Sic Helix
4. saus se, ac filios Prophetarum agrestibus ob
ribus

LIB. III. DE SOBRIETATE. 147

ribus alebat, & amarum cibum farina, non melle aut saccharo dulcorari jubebat.

Idem milites, quibus in Samaria luminum *2. Regum* usum ademerat, convivio panis, & aquæ excipi *cap. 6.* jussit.

Sic Joannes Baptista constitutus Christi *Mat. cap. 3* præcursor locustis, & agresti melle in solitudine *& Luc. 3.* sustentabatur.

Quid & Epaminonda dicemus? de quo legitur quod pertenui victu usus fuerit, unde aliquando vocatus à vicino ad cænam, cum reperisset bellariorum, obsoniorum, & unguentorum apparatus confestim abiit, inquit, *Ego sacrificare putabam.*

Sic Romulus vini parcissimus fuisse legitur: is enim ad cænam vocatus, cum ibi minimum bibisset, dixerunt illi familiares; Si ad istum modum omnes homines bibant, vinum esset vilius. Quinimo, inquit ille, Si quantum quisque volet, bibat, carius erit: nam ego bibi, quantum volui ac debui. Ergo ut Paling. monet, Sufficiat cibus ille famem qui sedat. Et Vergil. de Venere & vino:

Vina sitim sedent. --

-- hos fines transilisse nocet,

Et Ovid.

Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,

Officium præstent pesq; manusq; suum.

Jurgia præcipue vino stimulata caveto,

Atq; nimis faciles ad fera bella manus.

Occidit Euricion stultè data vina bibendo,

Aptior est dulci mensa, merumq; joco.

Quid quæso Philosophi & sapientiæ mendi magistri? Socrates, uti ferunt, philosophiæ parens, hoc victus tenuitate affectus est, ut nunquam nec ipse nec ejus familia aliquo gravi & periculoso morbo attingeretur.

Item Seneca Stoicus, ut Tacitus scribit, agrestibus pomis & aqua pura naturæ satisfecit, unde & corpore ad eum modum fuerit extenuato, ut apertæ Neronis jussu venæ sanguinem penè nullum stillarint.

CAP. IIII.

De Modestia.

Modestia, est Temperantia dictorum atque factorum.

Sic Maria mater Christi usque adeo modesta fuit, ut hujus vitam non solum virgines, sed etiam nuptæ ac viduæ tamquam exemplaria, quod sibi propositum habeant, ad quod componant atque effingant: Omnibus enim ad omnia facta fuit, ut omnes ad suæ modestiæ cæterarumque virtutum exemplum provocaret & adduceret.

CAP. V.

De Castitate.

Castitas, est Temperantia libidinis veneræ.